

Tomás Suayón

FUNEBRIS ORATIO

IN SOLEMNIBUS PISQUE FUNERIBUS

ILLMI. D.D.D. ANTONII

DE LA PEÑA Y NAVARRO

DIE DECIMA TERTIA OCTOBRIS

IN CATHEDRALI

ECCLESIA PROLATA

—A—

Joanne P. Carranza.

EJUSDEM ECCLESIE CANONICUS



ET DIOECESIS

VICARIUS CAPITULARIS.



ZAMORÆ.

Ex Typ. J. M. T. Maldonado.

1877.



Ad quæ pervenimus tempora, Auditores
Amplissimi? Quæ nos hodie tristissima
circumstant, ut præterita jam civilis illa et qua-
si domestica turbatio, quæ tot malorum calami-
tatem nobis attulit miseris, in effundendis nunc
lacrymis maximam occupationem teneamus?
Proh dolor! Heri magna nostri animi lætitia, et
gratitudine maxima, in hanc sacram detineba-
mur Basilicam; sive ad vocem dilectissimi Pas-
toris audiendam, sive ad ipsiusmet sanctam re-
cipiendam benedictionem, quæ peccatorum vin-
cula solvens, æternæ felicitatis portas ape-
riebat, et in filiorum Dei adoptione, benig-
ne, nos, et sollicite constituebat; hodie vero, vi-
tam istam miserrimam degentes, tantis illis com-
modis tantisque bonis arreptis, oculos nostros
frustra tendimus circumquaque, quasi solamen
aliquod nostro animo consequeremur et pa-
cem..... Gaudium vero et lætitia non no-
bis..... Ilmus. enim D. D. D. Antonius de



la Peña y Navarro, hujus sanctæ zamorensis Ecclesiæ dignissimus Præsul; a quo spiritualibus constanter, et utilissimis reficiebamur alimoniis; qui, rebus in adversis, fuit semper nobis maxima consolatio, vita discessit, ut amplius eum oculi nostri non videant.

¿Quis temperet a lacrymis hoc triste quod nobis accidit ad memoriam revocando? ¿Quis in coelo suos non dirigat oculos, ut si fieri possit, dilectum suum ac desideratum videat, suam sanctam demandans benedictionem? ¿Proh dolor, iterum iterumque dicam! ¿Nostris autem fletibus, semper nostras madefieri maxillas videbimus, et ultra, nobis, non erit consolatio, quia Pontifex noster carissimus non est? ¿Absit á nobis hoc!

Ut certum, enim, et infallibile quoque tenemus, quod in memoria æterna erit justus; et hoc maximæ nobis consolationis erit et letitiæ; certi enim, de justitia sumus nostri dilectissimi Pastoris, ac de ipsius quoque sanctitate convicti, et quasi evidentia de hac nostra certitudine veniet, si illius præclarissimi Viri, vitam ipsam ab ineunte sua ætate, usque ad suam laudabilem senectutem, nobis liceat spectare. Aperte dicam: justus non moritur; ex hac mortali vita migrat, sed ad æternam pervenit et immortalem. *Justi enim in perpetuum vivent.*

Hinc evenit, Fratres mei dilectissimi, ut nos, hodierna die, in harum rerum conspectu, quæ nihil præter moerorem ac tristitiam animum afferant, alte loqui de virtutibus possimus ac de cæteris ornamentis quoque, quibus dignissimus Præsul divinitus fuerit decoratus; et quod in hac etiam numquam satis deploranda jactura, alicujus nobis sit levaminis, in coelis, gloria et honore coronatum dilectissimum contemplare Pastorem. Acerva consolatio, dum bonum per-

ditum in memoria existit, et etiam de corde, dolore attrito, non recedit; sed consolatio tamen, utpote filii omnes de gloria congratulantur parentum.

Videamus igitur quis fuerit in vita Præsul, ut mea jam finienti oratione, clarissima gloria circumdatum in supernis, fidei oculis, illum demiremur intenti.

Vos scitis, A. A. me, in dicendo, nec quidem mediocriter esse versatum, ut apposite de objecto jam proposito et indicato loquar: vestra, igitur, indulgentia fidens, parce dicam.

Ante omnia existimo, et vos mecum existimare debetis, quod inter præclarissimos viros, neminem certe, nostris laudibus dignum esse arbitramur, nisi eos quorum vita perspecta in rebus fidei, et magnis Ecclesiæ negotiis, et quos aliquo honore affectos observare et colere debemus. Illi autem sunt Episcopi, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.

Inter illos, enim, maxime veritatem illam perspectam habemus, quam Sacræ Litteræ nobis firmissimam tradunt, et quam nullus certe, qui catholicam profiteri doctrinam, non erubescit, hodie inficiari aut in dubium tenere, ausus sit; Deum, scilicet, prout vult, suas inestimabiles gratias, suaque etiam desiderata charismata creaturis impartire decrevit quæ sunt ad vitam æternam præordinatæ.

Unde mirabilis illa exurgit similitudo, qua electi suo exhibentur Exemplari Divino conformes, cæterisque altiores nostram admirationem simul et æmulationem excitant. "Quos Deus enim elegit, et quos prædestinavit, illos et conformes inveniet imagini Filii sui."

Quis autem in præclaro nostro et egregio Antistite prædestinationis non vidit argumentum? Quis illum adhuc viventem, Virum rectum, justum, et sanctum non proclamavit?

Talia enim nos ipsi signa vidimus, nobisque talia de illius sanctitate notissima fuerunt testimonia, ut non raro evenerit, quod illius conspectu, intus diceremus convicti: "Ecce fidelis servus et prudens quem constituit Dominus super familiam suam." Ecce unus illorum quos Deus, elegit ad suam sanctam regendam Ecclesiam: Ecce justus ad æternam memoriam destinatus, quoniam in memoria æterna erit justus.

Sic nobis, quibus notissimus Vir ille fuit perillustis, olim dicere licebat; et sic nobis hodie, in amaritudine animae nostrae, licet illud ad memoriam revocare. Novimus enim nos moderationem animi sui et equitatem; novimus et virtutes illas, et quasi vidimus facultates ipsas, quas Spiritus Sanctus in suis mandat electis in tanto ministerio et exercitio.

Non mirum igitur, si sanctitatis suae præclarissima fama non in hac tantum sua Dioecesi fuerit notissima, sed etiam tota nostra percrebuerit Republica.

Qualis igitur, carissimus noster fuerit in vita, nobis non nisi post illud lamentabile casum licet hodie percontari.

Nostri igitur, Pastoris gloriam, non a suis proavis ducendam existimamus; cujuscumque enim illi fuerint, ipse suis propriis magnalibus, tum Ecclesiae, tum societatis, se praebeuit honoribus dignus.

In hac civitate natus, piorumque parentum cura educatus, ac primariis rudimentis imbutus, non suis tan celeriter facultatibus, ut maxime optabat, ad Gymnasiorum aulas convolare fuit permissum.

In paternam itaque domum usque ad vigesimum annum fuit detentus, honestisque interea laboribus deditus; hoc autem impleto tempore, divina magis Providentia fretus, ad vallisolitana civitatem, quae hodie Morelia nuncupatur, perrexit; et in Seminario illo, memorabili semper, verae ac solidae civilisationis clarissima fonte et origine, idiomatum scientiarumque culturae omni studio potuit incumbi.

Quod in his profecit, non est hic tradere vobis, si ad memoriam facile veniat, quod breviter inter professores fuerit ille nominatus, et quod in maximo honore esset, lectiones ab illo audire, et ipsum appellare magistrum; altiorem enim, cæteris adeo se constituit, ut inter illius temporis discentes, et inter professores etiam, nullus inveniatur, qui ipsius normam sectari, et tanquam honorificum exemplare, sibi proponere illum non existimaret. Non est autem quod hic immoremur; ad majora enim, nostra debet tendere oratio. Videamus, igitur, quantum nobis licet, sacerdotem magnum, qui in diebus suis placuit Altissimo.

Vos scitis A. A. sacerdotii munus, suapte natura, adeo excelsum esse, hominumque facultates excellere, ut non, nisi angelicis concentis extolli, aut ejus praestantiam enarrare, dignum esse judicetur. Illud enim de coelo, humanitatis favor, ad nos descendit; ipsius itaque dignitatem supra angelicas ipsas creaturas, Sacerdos in aeternum Jesus Christus D. N. amantissime constituit; et hinc ut homo ipse sacerdos factus, ultra davidicum illud prolatum pergat, non paulo minus ab Angelis, sed multo illis superius gloria coronatus et honore, se constituat et sit.

Magna humanae naturae dignitas! quae superat omnem sensum, quoniam, usque ad deifica-